

24

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
EVOLVENS RATIONEM

CVR

FLVXVS HAEMORRHOIDALIS
IN LABORIOSIS
PLERVMQVE SIT
LETHALIS

QVAM

ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA
CONSENSV ATQVE AVCTORATATE AMPLIS.
SIMI ORDINIS MEDICI

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. IOANNE IVNCKERO
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQVE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO
DOMINO PATRONO PRAECEPTORE
AC PROMOTORE SVO OMNI HONORIS CVLTV PROSECVENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS

AD DIEM APRIL. MDCCXLIX.

PVLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI EXPONET

AVCTOR ET RESPONDENS

HENRICVS HERMANNVS BORGSTEDT,
OSNABRVGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIUS MUNICIPALIS MEDICO
EVOLVENS RATIONEM
CAR
FUXIUS HARMONIONALIS
IN LABORIOSIS
LITERIS

MANNAE DINI UNIARIAE ETATIS
CONSTRA VOT Auctoritate AMPLI
SINI QDINIS MEDIO
IN EXAKTIS RIGORIS ARITHMETICIS
PRAESIDEB
MAGIS TITULI ET DECIMI ETATIS ALIAS
MEDICINE DOCTORIS AVISSEVOAE PROGRESSORE
LAVACO QDINIS
DOMINO FUTRIO HISTORIE
AC PRACTICIS QDINIS QDINIS QDINIS
PRO GRADU DOCTORIS
QDINIS QDINIS QDINIS
LAVACO LIBRATORIUM DECIMI ETATIS
HEMIGUS HERMANUS BORGSTAFF

THESES IOACHIMI HIRSCHI A



PROOEMIVM.

Quod laboriosi rarius laborent morbis, res est per vulgus notissima: Quae vero illius immunitatis ratio fit, pathologi maximopere dissentunt. Hic enim peculiariter eorum robori, ille minori sensibilitati, iste consuetudini a teneris acquisitae caussam tribuit; alii alias in medium proferunt rationes, praecipue etiam simpli- cem diaetam. Veritatem quidem haec omnia in se recondunt, fontem autem istum, ex quo v. g. robur illud hauriant, non aperiunt, viam, in qua a sensibili- tate taediosa liberentur, non monstrant, modumque ad tales perueniendi consuetudinem non docent. Si vero perpendimus, a frequenti partium solidarum exercitatione robur istud dependere, inti- liarem

miorem huius rei rationem inire possumus: nam si solidae partes relaxatae sunt, virium debilitationem persentiscimus, intensae autem, pristinum fibrarum robur observamus. Exemplis istam veritatem illustrare supervacaneum esse censeo, faltem non est hujus loci. De sensibilitate & consuetudine idem omnino valet iudicium. Quae enim res antea sensibilitatem nostram ita ferierunt, ut nec aspicere quidem, nedum eas contemplari potuerimus, eae temporis progressionē & longo earundem usū nobis fieri solent jucundae & acceptae. Testantur hoc plures hypochondriacorum. Porro quum antea ne ullum quidem frigus perpeti potuerimus, ad eam tandem pervenire possumus duritiem, ut coelo frigido sudorem salutiferum excutiamus. Exercitationi igitur corporis attribuere debemus, quod laboriosi cum tam multis non conflentur morbis; per hanc enim gravissimum sanitatis hostem, plethoram puto, semper avertunt, eamque ob rationem a tota classe haemorrhagiarum & congestionum, aliorumque inde derivandorum morborum, fere immunes existunt. Sicut autem illa exercitatio roboris acquirendi, sensibilitatis amittendae, firmae consuetudinis conservandae, sanitatis tuendae & morborum praecavendorum praesidium optimum constituit: ita res memorata est dignissima, quod laboriosi, quando a morbis infestantur, multis modis sortem habeant detriorem. Valet hoc imprimis de morbis chronicis, speciatim de haemorrhagiis; id quod praesenti dissertatione, peculiari quadam haemorrhagiarum specie,

de Fluxu haemorrhoidalii in laboriosis lethali. 5

cie, haemorrhoidibus scilicet, ostendam, & rationem
sinistri illius eventus explicabo. Faxit Deus ut
omnia feliciter cedant!

§. I.

Praecipuum dissertationis meae caput non qui-
dem respicit haemorrhoides; de iis enim post
Illustrēm ALBERTI nostro saeculo agere, nihil
aliud esset, quam iliada post HOMERVM scribere:
quoniam autem rationem explicare intendo, cur hae-
morrhoides laboriosorum plerumque sint lethales,
ipsius thematis conditio requirit, ut generales hujus
haemorrhagiae contemplationes praemittantur.

§. II.

Excretionem sanguinis, per vasa haemorrhoi-
dalia, quae in intestinum rectum sese exserunt, contin-
gentem, *haemorrhoides* vocamus.

§. III.

Vasa haemorrhoidalia dividuntur in arteriosa &
venosa. Haec in venas haemorrhoidales internas &
externas magis dispescuntur; internae ex radicibus
venae portae provenientes, ramisque sat notabilibus
conspicuae, in principio intestini recti terminantur;
externae autem ex hypogastrica prodeentes, ab ilia-
ca, ex venae cavae trunco inferiori descendunt, &
minoribus ramificationibus, in fine circiter intestini
recti, prope ejusdem sphincterem, evanescunt.

§. IV.

Antiquioribus internam tantum venam haemorrhoidalem notam fuisse, testatur BARTHOLI-
NVS libello *s. de venis cap. 4.* externam recentiorum

anatomicorum industria detexit, utriusque connexionem per vascula minima egregie demonstravit.

§. V.

Per venam haemorrhoidalem externam sanguis rarissime exitum invenit, qui potius copiose & impetuose ibidem congestus tumores efficit, mox omnis doloris expertes, mox gravissimis doloribus stipatos, haemorrhoidum *coecarum* nomine venientes. Pertinet hoc *tenesmus* ille haemorrhoidalis molestissimus, qui excretionem sanguinis per hanc venam quidem respicit, raro autem exsequitur. Conf. *Diss. inaugural. Dn. D. ADELVNGII*, de hac re habita.

§. VI.

Mira horum vasorum connexio, si recte perspicitur, magnam medico pratico adfert utilitatem, in dignoscendis dijudicandisque variorum morborum symptomatibus. Cujus rei unicum tantum adferam exemplum: Hypogastrica, praeter haemorrhoidalem externam, ad partes genitales quoque & vesicam ramulos emitit. Sanguis igitur, qui per venam haemorrhoidalem externam non expelli potest, per vesicam exprimitur. Ortae sunt inde *haemorrhoides vesicae*, ita nominatae, quia sanguis, per venam haemorrhoidalem externam excernendus per vesicam jam emititur. Legi hic meretur *Diss. Illustris Dn. PRAESIDIS de haemorrhoidibus vesicae*. Quodsi autem sanguis, per venam haemorrhoidalem externam egredi nescius, per vesicam quoque exitum non invenit, faevissimos spasmos habet perdissequos, calculum, monente jam SYDENHAMO

in

de Fluxu haemorrhoidali in laboriosis lethali. 7
in dissertatione epistolari de affectione hysterica, sae-
pius mentientes.

§. VII.

Dividuntur haemorrhoides in externas ab ex-
ternis; & in internas, ab in internis venis haemor-
rhoidalibus, §. II. propullulantes. Illas iam mittemus
& cogitationes nostras internis tantum consecra-
bimus.

§. VIII.

Ad veram harum diagnosis pertinet, quod ple-
rumque sine acerbis doloribus, post quamlibet de-
positionem alvinam proveniant. Quando enim
aeger faeces alvinas exoneravit, levi pressione conti-
nuata, exigua sanguinis portio exprimitur & in qua-
vis sede repetitur, in aliis quidem pauciores, in aliis
autem plures dies perdurat, vsque dum sponte na-
tura iterum cessat. Illud certissimum est, ipsum
haemorrhoidum fluxum, quem a moliminibus haemor-
rhoidalibus probe distinguimus, minus esse do-
lorificum, ideoque muleum discrepare a *dysenteria*,
aliisque alvi fluxionibus cruentis.

§. IX.

Porro haemorrhoides ut plurimum certum &
statutum tempus servant; viris enim vicesimum
octavum annum agentibus proprias esse experientia
confirmat. Multis etiam singulis mensibus evenire
solent, in eoque mulierum emmeniis non absimiles
videntur, in quibus etiam nonnunquam excretionis
menstruae vicariae existunt. In aliis, qui loco haemor-
rhoidum fluentium motus tantum haemorrhoi-
dales

dales experiuntur, molimina ista haemorrhoidalia eundem servant ordinem, quod in tenesmo quoque haemorrhoidalib[us] observatum esse, *Dissertatio §o.* Vto citata exemplo testatur.

§. X.

Illud quod per haemorrhoides excernitur, sanguis est sincerus, quantitate in pluribus satis moderata, ex vasis venofis internis §. III. descriptis, proveniens; id quod ipsa vocis significatio testatur. Dantur tamen homines, in quibus loco sanguinis sinceri, materia alba, viscida, immo nonnunquam discolor, per has vias excernitur, quod auctores nomine *haemorrhoidum albarum, mucidarum, decoloratarum* insignire voluerunt. Affines hac quoque forma sunt haemorrhoides mulierum menstruis, utpote quae etiam nonnunquam alba esse deprehenduntur, & *floris albi* nomine tunc veniunt.

§. XI.

Iam videamus licet, quinam homines haemorrhoidibus magis sint obnoxii. Horum in censu primi erunt sanguineo-cholerici, & sanguineo-melancholici, quippe qui plethoram potius *ad vasā* habent quam ad *habitum*, ideoque huic excretioni maxime idonei esse censemur. Neque tamen omnes istis temperamentis gaudentes promiscue haemorrhoidarum sunt existimandi, nisi eosdem insigni praeditos esse plethora constet.

§. XII.

Vitae quoque ratio ad hanc haemorrhagiam per multum confert: multi enim sunt plethorici, & idem, quod

quod §o. antecedent: descriptum est, habent temperamentum, & tamen ab haemorrhoidibus immunes vivunt; quia scilicet abundantiam sanguinis quotidianis laboribus imminuunt. Itaque alteram haemorrhoidariorum conditionem eam esse iudicamus, quod vitam, si non plane sedentariam, non tamen sati mobilem transfigant.

§. XIII.

Quando vero hi plethoram suam commouent, seu ad orgasticam expansionem perducunt, tum fomitem in ipsis absconditum (vt ita loquar) accendunt, & sanguinem per ista loca expellendum fortiter promovent. Exemplo hoc monstrant ii, qui vel diuturna equitatione, vel indignabunda animi commotione haemorrhoides proritant. Pari modo illi haemorrhoidibus magis sunt obnoxii, qui cibis, multis aromatibus conditis, vescuntur, quique potum spirituosum aut alia calidiora amant. Sic de Judaeis notum est, quod plerique illorum sint haemorrhoidarii, quia alio tam copiose fruuntur, vt omnibus fere cibis illud addant. Atque ex eadem caufsa Hungarorum plurimi haemorrhoidibus laborare dicuntur. Confer. *Illustr. Dn. PRAESIDIS Confsp. Therap. general. Tab. V. p. 160. n. 8.*

§. XIV.

Neque praetereundae sanguinis evacuationes naturales. Qui enim naturalibus sanguinis excretionibus adfueti, & prioribus temporibus largas narium haemorrhagias experti sunt, illi eo certius suo tempore ab haemorrhoidibus infestantur; si enim altera

B

hae-

haemorrhagia emanet, altera in illius locum succedit. Atque haec videtur esse causa, cur mulieres quoque nonnunquam haemorrhoides habeant fluentes; illarum enim natura, quando ordinaria via praeclusa est, aliam ingreditur, qua sanguinis abundantiam imminuere poslit.

§. XV.

Qui laboriosum vitae genus elegerunt, ab haemorrhoidibus plerumque liberi sunt: nam plethora eos non adeo grauat, nec diaeta lauta, multo minus vinosâ aliaque calida vtuntur, sed frugali sunt contenti; corpus suum fatigant, non impetuoso sed lento successu, sic transpiratione largiore abundantes humores quotidie dissipant & consumunt. Qua de causa indigent nouo sanguine, ad defectus resarcendos, non autem ad haemorrhagias celebrandas.

§. XVI.

Ex his facillime intelligimus, quid potissimum anfam praebat haemorrhoidibus: interim haereditatem dispositionem externasque violentias, quae non raro contingunt, adhuc adiungere omnino debemus.

§. XVII.

Consideratis caussis antecedentibus, quae haemorrhoides prouocare, aliisque accessoriis adductis, quae stimulum ad illas augere, aut, si iam fluunt, excedentes facere possunt, propiorem nunc earundem caussam considerabimus, ac, quomodo fiant, inuestigabimus.

§. XVIII.

Supponimus hic plethoram, licet non ipsa morbus

de Fluxu haemorrhoidali in laboriosis lethali. II

bus sit, morbosam tamen facile evadere, saltem adeo molestam naturae fieri posse, ut per varia emunctoria, aliquam de ista portionem expellere studeat. Cumque in aetate virili sanguis versus inferiora loca maxime tendit, per loca ibidem obvia non raro excernitur. Quem in finem prius copiosius ad illaloca congeritur, & tandem per varios motus appellentes & comprimentes, magis aut minus dolorificos, exprimitur.

§. XIX.

Quod si autem hic quispiam obiceret, naturam in haemorrhoidibus provocandis nullo modo respicere posse plethoram imminuendam, quum tam exigua faepissime portio per illas perderetur; ei responderem, exilem admodum portionem excretam reliquo sanguini circulum liberiorem parare, & a paucioribus guttulis, in loco iusto atque consueto provocatis, maius auxilium interdum esse sperandum, quam si per artem longe maior detrahatur copia. In haemorrhagiis narium experientia illud praeципue confirmat; cephalalgia enim, quaene per largam quidem venaesectionem afferri potuisset, sex vel octo guttulis sanguinis, e naribus prorumpentibus, citius saepe fistitur.

§. XX.

Alii aliam haemorrhoidum suppeditant caussam, nempe vel ab acrimonia sanguinis, vel ab obstructione vasorum illas derivant. Qui ab acrimonia illas deducunt, putant, sanguinem ad loca haemorrhoidalia per motum spasticum appulsum, acrimonia sua mi-

nutissimos canalium sanguiferorum exitus rodere & sic effluxum sibi parare. Quibus autem obstructa vasa ad explicandas haemorrhoides magis placent, illi tantam admittunt obstructionem, quanta ad eorum disruptionem sit necessaria. Non est autem, ut has opiniones iam pluribus examinem, quum in ea re multi in arte medica celeberrimi viri, praesertim b. STAHLIVS, diu multumque desudaverint. Conf. quoque *Illustris Dn. PRAESIDIS Confsp. Patholog. general. Tab. VIII. p. 92. seqq.*

§. XXI.

Progredior nunc ad principaliores intimoresque dissertationis meae partem, quae de successu & eventu haemorrhoidum ea, qua decet, brevitate, &, qua conceditur, facultate exponere debet.

§. XXII.

Ad salutarium haemorrhagiarum classem referri solet fluxus haemorrhoidalis; neque negandum est, fluxum esse aureum, si ita se gerat, vti §o. VIII. & seqq. explicavi, & infra magis explicabo. Certe nostra aetate ablata est priorum temporum iniuria, quae medicamina sua *contra* haemorrhoides, nempe ad eas avertendas & sistendas dirigere solebat; hodie autem non facile quisquam metuit easdem, sed potius earum legitimum fluxum exoptat. Nec est, cur metui debent: locus enim excretionis earum est securus, & vasa in hoc loco disrupta nullum portendunt malum, quod ex aliorum nobilium viscerum vasis disruptis praefagire debemus. Si praeterea perpendimus levamen, quod ex legitimo earum fluxu persentiscunt aegro-

aegroti, optimo iure salutiferis haemorrhagiis adnumerantur.

§. XXIII.

Vt autem haec res clariori luci exponatur, prius inquirendum est, quomodo & quando haemorrhoides salubres nominari possint: sic enim in contrariam quoque sententiam facile iudicare & intelligere possumus, in quibus casibus idem nomen aureum non mereantur. Primo aeratatem requirunt congruentem, de qua supra dictum est: quando autem pueri, aut iuvenes infra vicesimum annum constituti, ab iis corripiuntur, fluxum illum promiscue salutarem diuidare non possumus. Quod adeo verum est, vt ne haereditariam quidem dispositionem penitus excipere & suspectae notae maculam ei abstergere liceat.

§. XXIV.

Prae reliquis autem per quam salutaris esse animadvertisit illis viris, qui tam per temperamenti quam per vietus rationem plethorae gignendae sunt apti, porro qui per vitam nimis sedentariam sanguinem sibi compararunt spissum, ad quorum classem totum hypochondriacorum agmen optimo iure referimus. Per hanc enim excretionem sanguis abundans immunitur, & spissio sanguini liberior paratur circulus. Sicut enim sanguis a tergo premens amplius nanciscitur spatium; sic facilius, motu tonico aucto, per canaliculos suos transpellit, ac in circulum ordinarium conuerti potest.

§. XXV.

Haemorrhoides denique tum salutares esse ob-

B 3

ser-

servantur, si non moderatam tantum sanguinis emitunt quantitatem, sed periodicos etiam servant recursus. Quare hoemorrhoidum fluxum excedentem in iis quoque nocivum esse adfirmamus, in quibus legitimus earum fluxus magnum antea attulit emolumentum. Quae vero huius fluxus excedentis sit causa, quid respiciat efficiatque, infra erit dicendum.

§. XXVI.

Ex his nulla difficultate intelligimus rationem, cur haemorrhoidum fluxus in laboriosis malae sit prognoseos: legitime enim haemorrhoides plethoram inminuendam respiciunt; quia vero hic finis in illis excidit; necesse est, ut alium respiciat natura. Alius autem non habet locum, quam ut abstergio laesioris cuiuscunque in partibus solidis respiciatur. Itaque partium nunc est mearum, de hoc periculo explicatus differere.

§. XXVII.

Omnes in corpore nostro motus morbos, materiae cuidam peccanti oppositi, & salutari fini sunt destinati, vnde vel abundantis & spissi sanguinis imminationem, vel pravae illius qualitatis excussionem in fluidis, vel laesae alicuius partis solidae restitutionem intendunt. Sanguinis correctio per haemorrhagias non obtineri potest, pravos enim humores, totam massam humorum inquinantes, si e corpore proscribere vellemus, totam simul educere deberemus sanguinis quantitatem. Ergo vel sanguinis copiae per haemorrhagias aliquid detrahi, vel laesio quedam visceris per easdem debet abstergi. In rusticis aliis

aliusque laboriosis nimia sanguinis copia non habet locum, itaque tam aliarum haemorrhagiarum quam haemorrhoidum ordinarie expertes esse solent. Quando autem nihilominus iisdem aliquando corripuntur, superest nobiliorum viscerum laesio, quarum mundificatio & consolidatio intenditur.

§. XXVIII.

Quaestio hoc loco commode moveri potest, quomodo fieri soleat, ut laboriosi laesa accipient viscera, cum tamen a plethora & inde nata sanguinis spissitudine sint immunes, utpote quae in delicatulis & sedentariis laesionibus ansani praebent. Primum hic accusandae sunt caussae violentae v. g. casus ab alto, nimia intensio partium in gestandis oneribus cet. quae caussae omnino laesiones in iisdem saepius producunt. Deinde accusamus incongruorum medicamentorum usum, qui sane multos trucidare solet. Praecipue adstringentium usum in curandis febribus, in fistulis diarrhoeis & dysenteriis, ut familiarissimus, sic pessimorum in visceribus laedendis effectuum potior caussa est. Potesta per vulgus constat, potum frigidum, corpore aestuante, magno haustu sumptum, ad caussas laesionum efficiendarum esse referendum. Quibus denique insignem iracundiam addimus, eamque pro caussa variarum laesionum habemus.

§. XXIX.

Laesiones aliquae sunt graviores, aliquae mitiores: quae tantum in obstructione & infarctu viscerum consistunt, curationem nonnunquam admittunt, saltem non ita praecipue minantur periculum; quae autem

autem ulcerationem visceris cuiusdam nobilioris secum vehunt, nullo modo possunt sanari, quicquid nonnullorum vana polliceatur ostentatio. Interim inficias ire nequeo, quod, licet nonnunquam verum adsit vlcus, aeger tamen, iusto medicamentorum vsu, vitam aliquamdiu protrahere possit. Illud edocemur phthisicorum nephriticorumque exemplo, in quibus vlcus adesse, tam electio materiae purulentae per os, quam per vrethram testatur, & tamen hi homines plures adhuc annos vivis interessent, vitamque, licet calamitosam, producere possunt. In aliorum viscerum laesionibus ulceratis non ita res se habet, vt pote quae ad celeriorem vitae exitum plerumque tendunt.

§. XXX.

His praemissis, facile erit determinandum, cur haemorrhoidum fluxum in laboriosis plerumque pronunciemus lethalem. Laesio nempe adest, §. XXVII. quae periculum minitur inevitable; ad hanc abstergendam adfluxus quidem humorum versus laesum viscus copiosius dirigitur, rarissime autem finis exoptatus obtinetur; vt enim silentio praeteream, plures interdum in uno subiecto adesse laesiones, quas tamen omnes sanguis advectus minime attingere, nedum abluere & abstergere potest, hoc certe negari nequit, quod ad vlcus quoddam mundificandum & consolidandum plus requiratur, quam sanguinis affusio. Interim maximam aegroti virium prostrationem persentiscunt, quia sanguis, ad nutritendum corpus, viresque amissas restituendas, destinatus, semper excernitur, ita, vt qui maximos an-

tea

*de Fluxu haemorrhoidal i*n laboriosis lethali. v7

tea exantlare poterat labores, spiritum iam vix trahere possit; ulcus autem maiorem semper acquirit ambitum, & totam denique scenam funesta mors claudere solet, quae eo citius appropinquat, quo saepius, & quo maiori quantitate fluxus ille haemorrhoidalis sese ostendit. Pluribus ab experientia desuntis exemplis illud affirmare possem, siquidem mihi ipsi in collegio clinico Excellentissimi Dn. PRAESIDIIS aliqua huius morbi in laboriosis obvenerunt exempla, quae huic themati eligendo ainsam mihi dederunt, sed necessarium esse non iudico, quoniam eiusmodi lethalis eventus non facile fugiet quemquam Medicorum.

§. XXXI.

Eo autem non abit sententia mea, quod omnem fluxum haemorrhoidalem in omnibus laboriosis absolute lethiferum pronunciem: laes ionem enim parvam & superficialem tantum, ipsa quandoque natura sanare potest, ad quod naturae robur in laboriosis, quod autocratis dicitur, plurimum confert. Praeterea in determinandis laes ionibus admodum cauti esse debemus; multi enim laboriosorum classi sese adnumerant, cum tamen vix semilaboriosorum nomen mereantur, in quibus haemorrhoidum fluxum, licet saepius contingentem, non laes ionis abstensionem, sed tantum plethorae imminutionem respiceret, ideoque non lethalem esse, certissimum est.

§. XXXII.

Reslat, vt paucis videamus, quid hic valeat

C

ars

ars medica , quid consilii , quid auxilii suppeditet. In votis quidem esset , ut laboriosi istas res evitarent , quae laesionem ipsis contrahere possunt , ideoque ab omnibus remedii incongruis , a vetulis alisque agyrtis sibi traditis abstinerent , praeterea potum frigidum , fervente sanguine , & iracundiam fugerent : sed salutaria haec vota , facta iam laesione , non amplius locum habent ; ideoque ad fontem pharmaceuticum properare , & quid salutis ex eo bona felicitate hauriendum sit , tentare convenit : si enim laesio nondum altiores egit radices nec late se diffudit , aeger morti eripi pristinaeque sanitati aliquando restitui solet.

§. XXXIII.

Generales huic afflictionis opponendae *indications* sunt sequentes. Primum copiosior sanguinis ad locum laesum adfluxus , bona quidem intentione sed mala inventione a natura suscepimus , est avertendus ; Deinde pars laesa , quoad eius fieri potest , est mundificanda & consolidanda ; denique symptomata , quae conspirant , legitime sunt tractanda.

§. XXXIV.

Primae indicationi satisfaciunt ea , quae impetuosa sanguinis congestionem versus locum affectum tollunt. Pertinent huc temperantia , antispastica , quae motus tonici spasticam adstrictionem demulcent , & simul incidendo sanguinis liberiorem fluxum promovent. Cum his si diluentia tepida coniungimus , finem nostrum eo certius obtinemus ;
aequa-

æqualis enim inde promovetur humorum distributio, sanguinisque adfluxus particularis multum infringitur. Nonnulli laxantia ad eundem scopum praescribunt, sed debent esse lenissima & blandissima, fortiora enim stimulum ad haemorrhoides addunt, earumque effluxum augent. Optime hic conducunt Pilulae STHALIANAE genuinae, vel aliae BECHERIANAE correctae, quae quaslibet impuritates blande removendo interdum aliquam in eiusmodi aegrotantibus exserunt efficaciam.

§. XXXV.

Altera indicatio maiorem involvit difficultatem. Evidem si laesio adhuc recens fuerit, salia media abstergentia nonnunquam operae pretium fecerunt, praesertim si cum speciebus quibusdam, ex radicibus & herbis balsamicis abstergentibus ac traumatica virtute praeditis, coniunguntur, quales PARACELSVS specifice commendavit: haec enim egregia optimaque ad ulceris abstersionem & consolidacionem existunt remedia. Laesio profundior eadem quidem exposcit remedia, sed longius etiam curationis tempus efflagitat, & tamen spes sanitatis restaurandæ exspectationem nostram plerumque fallit.

§. XXXVI.

Tertia denique indicatio symptomatum iustam aestimationem, eorumque legitimam tractationem C 2 expo-

exposit. Ad symptomata autem, huic morbo familiaria, potissimum referimus, varios in abdomen cruciatus, a spasmis ibidem saevientibus ortos, insignem virium prostrationem, cum annexis huic malo incommodis.

§. XXXVII.

Spasmi, fluxui haemorrhoidali supervenientes, praecipue illius promotionem intendunt, & per illum vlcus mundificandum & sanandum respiciunt. Ideo tam in partibus remotis, vt in artubus extremitatis, vbi plerumque lassitudinem efficiunt, adsunt spasmi, qui humores a peripheria ad centralia loca dirigunt, quam in propioribus, vt sanguinem copiosius illuc congestum exprimant. Hinc concludimus, spasmos istos non promiscue esse sistendos, quia illis cessantibus, laesio magis magisque augeferet, aegerque citius succumberet. Temperantia tamen non excludimus, quorum usum iam §o. XXXIV. commendavimus, neque omnem securorum anodynorum negamus utilitatem, modo prudenti ratione, hoc est removentibus coniunctis, adhibeantur.

§. XXXVIII.

Virium prostrationi in aegrotis hic quoque erit sicurendum, idquod eo melius hoc loco praestare possumus, quoniam non *omissas* sed *amissas* vires restaurare debemus. Prae aliis hic sunt eligenda iuscula quaecumque nutrientia, emulsiones analepticae, gelatinae ex

C. C.

C. C. vel carne vitulina praeparatae , aliaque corpus caducum emaciatumque refocillantia. Praesertim frequentem commendamus vsum decocti hordeacei seu avenacei cum sero lactis dulci, quae materiam acrem arrodentem demulcent , & quando recentia sunt vlcera , nec magnum fibi acquisiverunt ambitum, sanationem eorundem mucilagine sua obducente spondent. Talia autem robورantia non concedimus , quae nimis calida sunt, motum tonicum vehementissime augent , sanguinisque ebullitionem efficiunt, uti aromatum , vel frequens vini vsus ; haec enim sanguinem potius nimium commovent eiusque profluxum magis augent & excitant.

§. XXXIX.

Haec generalis methodus sufficere mihi videtur, specialiorem in Illustris Dn. PRAESIDIS *conspctu Therap. special. Tab. XI.* pluribus quilibet inveniet. De diaeta reliqua , quae eiusmodi aegrotis necessaria est , pauca erunt subiungenda, cum plura iam ex generali methodo possint dignosci. Moderatus atque conveniens corporis motus multum ad malum hoc moderandum confert; hac enim ratione sanguinis congestio particularis facilius mutatur in universalem eiusdem & aequalem distributionem. Et haec est ratio, cur laboriosi diutius hoc fluxu possint laborare, licet tandem succumbere cogantur. Illustrationis loco

rusticum quemdam allego, qui hoc fluxu diu correptus, & quotidie vehementer ab eodem vexatus nihil tamen minus primis temporibus laborem adsuetum cum levamine exercebat, vsque dum post summam virium prostrationem lectum petere, morboque tandem succumbere cogeretur.

§. XL.

Quam salutaris autem est moderatus corporis motus, tam perniciosa sunt *animi vehementia pathemata*: hac enim ratione sanguinis commotiones vehementes augmentur, omniaque in deteriorius ruunt. Non minus *aeris frigida conditio* est noxia: quia humores a peripheria ad interiora & praecipue affecta loca restringuntur. Methodus prophylactica superius per anticipationem potissimum explicata est, & reliqua per se constant, quae ad viscerum laesionem cavendam requiruntur.

T A N T V M



CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO,

HENRICO HERMANNO
BORGSTEDT

MVLTAM PRECATVR FELICITATEM

IO. IVNCKER

A
q[ue]rensis c[on]spicuum, m[er]itor[um] b[ea]tissimum p[ro]motores
Hos b[ea]tissimis exercitibus, istius, q[ui]e obes
Cristifino h[ab]et n[om]i[n]o[n] D[omi]n[u]s D[omi]nissimo

A uspicatum, CANDIDATE doctissime, vitæ
academicae colophonem imponis per elabora-
tionem eiusmodi thematis, quod eo maiorem
meretur considerationem, quo minus frequentem illius
mentionem apud autores factam esse recordor, & ta-
men in officio práctico multum negotii Medicis faceſſit.
Quartus iam agitur annus, ex quo TE salutari arti
consecrare conſtituisti, & primum quidem in acade-
mia Ienensi, deinde autem in Fridericiana noſtra ſu-
diorum curriculū tranſegisti. Accidit primo TVI
adventu, ut museum in aedibus meis eligendo, quoti-
diana nobis in sanandis morbis conſuetudo interceſſe-
rit,

rit, qua industriam TVAM & agilitatem, in visitandis aegris numquam defatigabilem, cum animi delectatione saepius cognovi. Qua de causa non possum, quin gratulantium TIBI amicorum numero lubens bodie accedam. De meo in TE animo non dubitabis: quare verba in testando illo minime perdere, sed potius ad vota progredi Deumque precari cupio, velit TIBI porro favere, ut quas ingenii dotes disciplinis optimis excoluiisti, eas nunc boni publici emolumento proferre, & in artis operibus exercendis solidae doctrinae fructus patriae TVAE comprobare possis. Vale D.D.

XV. Aprilis M DCC XLIX.

Adscendis cathedram, meritos prensurus honores
Hos precor, excipiant, fama, salus & opes
Clarissimo nec non Doctissimo

DN. DOCTORANDO

haec
pia mente apposuit

ABRAHAM SCHNELL

Lindauia-Akronianus

M. C.

OPPONENS.

Ula 4713



SV



24

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
EVOLVENS RATIONEM
CVR
FLVXVS HAEMORRHOIDALIS
IN LABORIOSIS
PLERVMQVE SIT
LETHALIS

QVAM
ANNVENTE DIVINI NVMINIS GRATIA
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE AMPLIS.
SIMI ORDINIS MEDICI
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DN. IOANNE IVNCKERO
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQVE PROFESSORE
PUBLICO ORDINARIO
DOMINO PATRONO PRAECEPTORE
AC PROMOTORE SVO OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIEBV
AD DIEM APRIL. MDCCXLIX.
PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI EXPONET
AVCTOR ET RESPONDENS
HENRICVS HERMANNVS BORGSTEDT,
OSNABRVGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typogr.